perpetuo esse curæ, quâ nos fiduciâ freti nihil his addimus, sed ipsius benevolentiæ, quæcunque ad nos ullo modo pertinere putaverit benignè committimus et commendamus,
Reliq. Prag: 14. Jan: 1591.

Cardinali Lancilotto et in similem Mendocæ. Rudolphus etc.

Rme etc. Quod in Apostolico quidem nuper instituta de novo Pontifice digendo consultatione gravissimâ P. V. Rma id sibi sincero studio propositum habuit, ut in ista sublimi dignitatis sede is collocaretur, qui eâ dignam pietatem ac virtutem adferret, quibus voluntate nobis et Augustæ domui nostræ conjunctus esset, magnopere gaudemus, ac de eo P. V. Rmam plurimum laudamus. Quod verò his ipsis aliisque occasionibus se nostri adeò studiosam ostendit, quod aliorum testimonio non sine voluptate accepimus, Nobis sine quam gratissimum fuit, cui omnem vicissim grati ac memoris animi progressionem benignè pollicemur. Prag: 14. Jan. 1591.

Oratori Romano de intro ducendo Joanne de Medicis in capellam respondetur.
Rudolphus etc.

Nobilis etc. Literas tuas binas 29. Decembr et 6. Jan: scriptas quibus diligenter Nobis ac minutim ea perscribis, quæ isthic se tibi concertatio de introducendis Oratores in capellam Pontificiam Principibus obtulerit, rectè accepimus, quæ iis recensentur, integrè pariterque intelleximus. Cum autem ad dignitatem et existimationem Cæsaream, quam nos tueri æquum est, hanc rem magnopere pertinere judicaverimus, maturo eam consilio, ut de mente nostra tibi quid certi responderemus, tractavimus et expendimus. Discussis igitur rebus satis omnibus comperimus, te juxta mentem nostram, non solum prudenter ac dextrè, sed et fortiter fideliterque pro dignitate nostra, quam generatim tibi in omnibus defendendam injunximus, ea egisse, dixisse, quæcunque speciatim in hoc casu, si consulti fuissemus, præmonere, tibique mandare potuissemus, voluissemus, neque in iis quicquam esse, in quo nobis non abundè satis feceris.